



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij Francisci Lamberti Auenionensis

Lambert, François

Argentorati, 1525

VD16 B 3868

De nomine Prophetæ, & quòd Christus sit uerus Ionas. Capvt II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35983**

**Mo. 7.** Ionas fuit sorte deprehensus in culpa, **Christus** peccatum non fecit, nec inuictus fuit dolus in ore eius. **1. Pet. 2.** Vide ergo quàm uerum sit, quòd Ionas non possit esse in omnibus figura **Christi**: ueruntamē id certissimum, quòd illius in multis fuerit typus, sicut in sequentibus **Deo** proptio palàm fiet.

De nomine **Prophetae**, & quòd **Christus**  
sit uerus **Ionas**.

## CAPUT II.

**I**gitur, primum **Ionas** ex suo nomine, **Christi** figura extitit. **Ionas** enim, columbus uel columba interpretatur. Diximus autem et probauimus in **Solomonis Canticis**, cap. 6. **Ecclesiam** spōsam **Christi**, columbam dici, eo quòd spiritu sancto, qui per columbam significatur, plena sit. Quia autem hæc eius plenitudo, non nisi à **Christo** procedit, nimirum de eius plenitudine omnes accipimus. **Ioan. 1.** ipse etiam **Christus**, spiritu columbino plenissimus, colūbe appellatione significatur. A **Christo** igitur columbo, habet **Ecclesia**, quòd sit columba, sicut et ab eo, iusto, sancto, uero, impolluto, herede patris, omniumq; **Domino**, habet ut ex fide in eum, sit iusta, sancta, uera, impolluta, hæres **Dei**, ac mundi **Domina**. Siquidem propter eam **Deus** mundum creauit. Et quemadmodum ab eo, quòd **Christus**, so-

R. 3. Ionas,

FRANC. LAMB. IN IONAM

Ionon, id est, pacificus dicitur. Cant. 3. ipsa Ecclesia Sulamis, uel Schulamis, id est, pacifica appellatur. Cant. 6. 7. ita & à Christo columbo, Ecclesia ipsa columba est, atque uocatur. Siquidem & sponsi, & sponsæ, omnia communia sunt. Est ergo Christus uerus Ionas, id est, columbus, simplex, optimus, & spiritu sancto plenissimus, sine quo nullus eiusdem spiritus particeps esse potest.

De eo, quod Ionas dicitur,  
filius Amathi.

C A P V T III.

**A**mathi filius, Ionas fuit, quod maiorem in modum exprimit, & Patris summi, & Domini **IESV** Christi gloriam. Amathi enim, si interpretetur, ueritas est. Et Deus quid est, nisi ueritas? Et Christus seipsum ueritatem dicit. Ioan. 14. Ego sum, inquit, uia, & ueritas, & uita. Est autem Christus, filius ueritatis: ueritas, à ueritate: lumē, de lumine: Deus uerus, de Deo uero. Et quotquot in eum credunt, fiunt dei, lucis, & ueritatis filij, eius per illum participes. Ioan. 1. Verum non sunt ex se, ut Christus, ueritas, lux, aut Deus uerus, sed Christus ipse in eis est, lux, ueritas, uita, & omnia. Vnde et illorum conuersatio, his qui in tenebris ambulant, & mundo, debet esse lux, quod maxime spectat ad ministerium sermonum lucis, & ueritatis Dei, quibus ueri fideles in Ecclesia filios generant. Sic  
Paulus